



# ARISTOTELIS

DE COMMUNI ANIMALIUM MOTIONE, LIBER,  
INTERP. PETRO ALCYONIO.

10



20

**D**E ANIMALIUM motione quæcunque per singula genera illis attribuantur, & quæ discrimina, causæq; eorum, quæ sigillatim iisdem ipsis accidere soleant, alibi de omnibus disputatum est. Nunc autem communis omnino explicanda causa, cur quocunque motionis genere agitentur, alia enim uolatu, alia natatu, alia gressu, alia per alios eiusdem generis modos impelluntur. At uero iam antè præfinitū reliquimus id principium aliarum motionum esse, quod sibi ipsi motum affert, idemq; immotū præesse, primumq; mouens necessario ab omni motu, & agitatione uacuum esse. quod quidem commodum actum est, cum de motu disputabamus sempiterno, utrum ille esset, nec ne: & si esset, ecquis esset. Et hoc quidem ipsum non modo ratione communi proponere conuenit, sed in ipsis etiam rebus singulis, & sensilibus, quorum gratia cōmunes quærimus rationes, quas quidem singulis rebus accommodari oportere iudicamus. nam uel in his ipsis constat fieri non posse, ut quicquam ad motum excitetur, nisi etiam aliquid ocietur & per quietem agat. Ac primum quidem in animalibus id comper tum est. Nam si membrum aliquod motum nauat, oportet etiam aliquod ocari. ob eam que rem copulæ, & nodi animalibus affiguntur, quoniam cardinis loco nodis utuntur, totiusq; partis integritas, quæ insertū flectit nodum modo una & duplex, modo recta, & flexibilis redditur, quippe quæ per ipsum nodum in mutationem ducatur potentia, & actu. Siquidem partis quæ flectitur & adducitur alia nota motu fertur, alia in nodis quiescit. ut si dimetientis lineæ A & D quiescat, B moueatur, & A C acquirantur. Sed hoc in exemplo cardo omni ratione uidetur impartibilis, atque motum in seipsis, ut inquit, tacita cogitatione architectantur, quandoquidem res mathematicæ nullo motus genere impelluntur. At quæ copulis continentur, potentia & actu partim simplicia consistunt, partim distrahuntur. cum tamen initium, quoad initium est, quiescat, dum membrum quod cohæret, motum expedit. uerbigratia, dum brachiū mouetur, gibber quiescit. dum lacerti motum agunt, humeri, dum tibia, genu, dum totum crus, coxendix. Certum igitur est cuiq; etiam parti opus esse in seipsa aliquid retinere, unde partis motæ initium proficiscatur, & cui innisa eadem illa in summa, & per partes moueatur: imò quies omnis interna ad id præstandum minus idonea est, nisi extrinsecus aliquid simpliciter adhibeatur, quod & quiescat, & omni uacet motu. Ac operæ precium quidem erit accuratius æstimare sententiam, quam supra attulimus, propterea quod contemplationis genus eiusmodi attingit, quod non solum animalia cōprehendit, sed ipsius etiam uniuersi motum, & interitum. Siquidem ut intus quicquam condi debet, si ad motum animal exiturum est: ita extra potius aliquid statuendum est, in quo insistens moueatur. Nam si tanquam strato semper cesserit, ut muribus euenit, quotiescunque

per terram, aut arenam gradiuntur, nullos habebit progressus, nec gressus perage-  
 tur, nisi terra habitu rigenti consistat: nec uolatus, aut natatus conficietur, nisi uel  
 aër, uel mare obnixè reluctetur. Atque id necessariò aliud ab eo esse debet, quod  
 motu exercetur, totumq; à toto. atque id, quod proprie omnis motus expers est, in  
 nullam eius partem receptum est, quod motum obit. sin minus, idem motu desister  
 cuius rei testimonio esse potest id, quod in controuersia uersatur & cõtentione. cur  
 si quis extra nauigium remo, aut alio instrumento malum propellat, nauigium nul-  
 lo negotio moturus est. contrà si in eodem sit nauigio, & id ipsum conetur, nullam  
 mouendi facultatem habebit, nec si tityus, aut aquilones extra nauigium spirent. si  
 modo casus ferat, ut quis eo modo uentum reddat, quo pictores facere uidemus, 10  
 qui ex eodem nauigio uentum mitti pingunt. Nam siue leniter flatus spirat, siue ita  
 uehementer, ut maxima uenti uis ingruat, siue aliud sit, quod proñciatur, uel impel-  
 latur, necesse est primum, ut qui impellit, in sua aliqua parte quiescente inlittens id  
 præster. Dein hanc ipsam partem, uel id cui pars adiungitur, quiescere externæ rei  
 innisum. At qui nauigium impellere uolebat, cum ipse in nauigio esset, ad ipsumq;  
 adhereret, optima ratione nauigij mouendi autor esse non poterat, quia necessitas  
 præscribent, ut id quiesceret, cuius innisu se sustinebat: cum tamen qui extrinse-  
 cus ei uel impellendo, uel trahendo intentus erat, motus autor esse poterat, quoniã  
 terra nulla nauigij pars habetur. Sed quæres, an si quid uniuersum agit coelum  
 tantæq; molis gubernacula sustinet, omnis motus expers esse debeat, nec ulla cœli 10  
 pars sit, nec in cœlo cõdatur. Nam siue idem ipsum cum mouetur, cœlum circum-  
 agit, necesse est uolubilitatem eiusmodi cõficiat rem immotam attingens, quæ qui-  
 dem autoris motus nulla pars sit. atque si mouens immotum continuò est, nulla id  
 dem pars fuerit eius, quod motu tenetur, & agitatione. Quinetiam qui memoriæ  
 literisq; hæc mandarunt, illud scite tradunt, per globi conuersionem nullam omni-  
 no partem quietem fouere, quandoquidem necesse esset, uel totum quiescere, uel  
 facto partium diuortio illius distrahi continuum. Sed cum arbitrantur uertices nul-  
 la præditos magnitudine quandam uersandi cœli habere facultatem, & extrema,  
 & puncta inducunt, falsæ sententiæ se autores probant. Nam fieri non potest, ut  
 quicquam ad huiusmodi uerticum naturam pertineat, & motus unus à duabus re- 10  
 bus agatur. sed illi duos constituunt uertices. Ex hoc disceptationum genere addu-  
 ci poteris, ut existimes aliquid omnino ita statui oportere ad uniuersam naturam,  
 ut terra ad animantes habetur, & quæ per easdem ipsas animantes motus cõficiunt  
 suos. At qui fabulose comminiscuntur Atlantem in terra pedes fixos habere, uiden-  
 tur ex suo ipsorum commento fabulam finxisse perinde, ac ille dimetiens linea sit,  
 & circum uertices cœlum torqueat. hoc autem ipsum recta euenit ratione, quoniã  
 terra per quietem consistit perpetuam. Veruntamen huiusce sententiæ ad stipula-  
 tores necessariò confirmare debent eos ipsos uertices nullam uniuersi partem esse.  
 Addo illud etiam, quod robor, motorisq; nisus ad rem quiescẽtem æquabiliter re-  
 spondere debet. Nam roboris & facultatis magnitudo est, qua sic id, quod quiescit, 40  
 potest quiescere, ut id quod mouet, potest mouere. atque necessariò quædam pro-  
 portio, ut contrariæ motionis, ita quietis animo concipitur, motusq; aut facultates  
 per exuperantiam uincuntur. Quapropter siue Atlas, siue mouens quid aliud sit  
 ex ijs, quæ intra contineantur, nihilo minus oportet quietem reluctari, quam terra  
 obtinet, aut terra de medio, suoq; ipsius loco diuelleretur. Ut enim impellens im-  
 pellit: sic impulsus impelletur, atque adeò per tantundem roboris. Sed primum  
 quiescens hoc est Atlas motum parit. idcirco robor maius, & uehementius erit,  
 quàm æquabilis, & quieti par sit. Eodemq; modo se habebit robor eius, quod tam-  
 etsi mouetur, tamen ipse non mouet, atque oportebit tantum facultatis superesse  
 terræ

in quiescendo, quantum uniuerso cœlo, illiusq; motori. Quod si hoc fieri nequit, nulla itidem facultas suppetit, qua cœlum ab aliqua eiusmodi re intus condita motus incitationem nanciscatur. Sed tamen quaestio existit de partium cœlestium conuersionibus, quam ut instituta iam disputationis propriam, & cognatam aestimare poteris, nam si quis motionis uis terræ quietem excelleret, certum est illum e medio eam diuulsurum, nec minus constat robur, à quo ipsa uis proficiscitur, in infinitum non excursurum, cum neque terra infinita sit, ac propterea ne ipsa quidem terræ grauitas eiusmodi fuerit. Sed cum id, quod fieri non possit, multipliciter dicatur, propterea quod non eodem modo asserimus fieri non posse, ut uox à nobis cernatur, quo ea sunt, quæ in luna cōsistunt, cum alterum ex necessitate sit, alterū quamuis suapte natura aspectu pateat, id tamen nunquam cernitur. Cœlum uero immortale, & nequaquam dissolubile ex necessitate arbitramur. At si hæc recipiatur ratio, non ex necessitate id putabitur: siquidem motus maior suapte natura esse, atque contingere potest, eum dico à quo terra quiescit, & eum à quo ignis, & summum corpus uoluitur. Itaque si in rebus facultates uehementiores ijs, quas cœlum & terra obtinent, reperientur, cœlum & terra dissipabuntur à uehementiore facultate, quam ea sit, quam utrunque obtinet. Sin tales non sint, possint tamen esse (infinitum enim haud incidit, quia nullum corpus in infinitum dimanat) profectò contingere poterit cœlum dissolui. Quid enim impeditenti interuenit, quo minus id consequatur? siquidem non potest non esse, at non posse non esse minime est, nisi contrarium sit necessarium. De huiusmodi ambiguitate alia instituetur oratio.

SED utrum extra id, quod mouetur, quicquam collocandum est immotum, & quiescens, quod nulla eius pars sit, an secus? Et si hoc dederimus, an necesse est in uniuerso ita se rem habere? fortè enim perabsurdum uideri poterit, si circumuectionis origo intus habeatur. Quapropter istam probantibus sententiam Homerus recte cecinisse uideri potest:

Sed neque supremum in terram deducere cœlo  
 Vestræ Iouem uis ulla queat, non diq; deaq;  
 Annisi quanquam, at libramini simul omnes.

Nam id, quod agitatione, & motu uacuum est, à nemine moueri potest. Vnde si ex principio pendet immoto, quæ olim proposita est controuersia, \* explicabitur, utrum contingat cœli coagmentationem dissipari nec ne. Sed enim huiusmodi immotum principium non modo in animalibus condendum est, uerumetiam in ijs, quæ per locum motu cientur, ea designo, quæcunque seipsa moueant. Siquidem alia pars debet moueri, alia quiescere, cui id, quod mouetur, innisum motum perficit, ut si illud sit pars, quæ mouetur. Nam altera innititur, altera quiescit, inanima tamen in cōtentionem uenire possunt, utrum hæc quoq; necessariò in seipsis omnia principium quiescendi, & mouendi habeant, & in aliqua re extra quiescente insistant, an id fieri nequeat, ut ignis, ut terra, ut aliud quod anima orbatum sit. Inanimis quidem haud contingit, ut & quiescens res sit, sed in ipsis planè animalibus, à quibus inanima motum nanciscuntur, inanima enim omnia pulsu agitantur externo, atque principium omnium, quæ ita agitantur, est, ut illa seipsa moueant. Et hæc quidem omnia, quæ de animantibus & inanimis dicere habuimus, necessariò probant illa & in seipsis, & extrà rem quiescētē habere, qua se sustentent, & firment. At uero incertum est an quicquam superius sit, quod primum mouet, & omnino de huiusmodi initio alia suscipienda oratio. Animalia, quæ motu aguntur omnia externæ parti incubantia id præstant cum spirant, & expirant, nihil enim interest magnum proijcias pondus, an paruum, quod quidem faciunt qui despuunt, qui tulliunt, qui spirant, & qui expirant. Sed in controuersiam quoq; trahitur, utrum

in animali duntaxat cum per locum mouetur, quippiã debeat quiescere, an etiam cum ex se alterascit, & auctum recipit. De prima formatione, & interitu, longe alia afferenda est præceptio. si enim primus motus generationis, & interitus is est, quẽ exposuimus, hæc ipsa profectò causa explicabitur aliarũ omnium motionũ. & eo quidem magis, quod ut primus ille motus causa in uniuerso, sic in animali, postq̃ absolutum est, statuitur: quapropter auctiõnis etiam & alterationis, si modo idem sibi ipsi causa esse poterit. Quod si motus per locum alios non præcesserit, necesse non est aliquid statui quiescens in ijs, quæ ex se tum in alterationem incidunt, tum partium auctiõnem recipiunt. Prima quidem auctiõnis & alterationis genera alia ab re, & per alias inducuntur, cum tamen fieri non possit, ut idem sibi ipsi genera-<sup>10</sup> tions, & interitus causa sit. motor enim rem mobilẽ, effector opificiũ præcurrere debet. nihil autem seipso prius, & antiquius est. De anima, utrum illa moueatur nec ne: & si moueatur, quo modo id cõtingat, proxime in ijs libris disputauimus, quibus naturã illius cõplexi sumus. Sed cum inanima omnia ab alijs motu ciant, (de primo autẽ eodemq̃ perpetuo mobili, qua ratione motu incitetur, & quo pacto princeps motor agitet, in principis philosophiæ cõmentarijs disputauimus) reliquũ est, ut explicemus, quo modo anima motũ corpori afferat, & quodnam in-<sup>20</sup> tium statuendum sit motionis animaliu. Siquidem animata causam afferunt motui aliorũ, præterq̃ ipsius uniuersi conuersioni, modò illa mutuos non præstent motus, quoniã inter se colliduntur. Quapropter omnes eorũ motiones exitũ habent,<sup>20</sup> animatorũ enim sunt, quandoquidẽ animalia omnia alicuius rei causa & mouent, & mouentur: ita ut hoc ipsum constituat exitus cuiusq̃ motionis. At uidemus cogitationem, uisum, uoluntatem, selectionem, cupiditatem animalibus motũ afferre. Hæc autẽ omnia ad mentem referuntur, & appetitiõnẽ. uisum enim, & sensus eandem, quam mens, obtinent sedem, cum omnia iudicandi & statuendi facultatẽ habeant. attamen eo discriminũ genere separantur, quæ alio tradidimus loco. Voluntas, ira, cupiditas appetitiõni redduntur. Selectio cõmunis est cogitationis, & appetitiõnis. quapropter id etiã quod seligi potest, tale erit. cum non omne rationale seligi queat, sed rerũ agendarũ finis est: idcirco is, qui ita mouet, cõmodi & boni rationem obtinet. imò non omnis honestus est. nam quoad gratia huius, alius<sup>30</sup> est, & quoad finis est rerũ, quæ rei alterius gratia sunt, eatenus mouet. Bonũ quoq̃ ementitũ boni locum tenet, atq̃ iucundũ tale etiam est, quandoquidẽ illud ementitum bonũ est. Constat igitur mobile perpetuũ, partim simili modo à primo agitari motore, ut singula animalia ab re appetibili, partim alio modo. Ergo perpetuũ obtinet motum, cum animalium impulsus exitu terminetur, & sine. id enim quod perpetuũ est, pulchrum habetur: & quod re uera est, & prius, bonũ statuitur. nec modo est, modo non est: ac omnino diuinius atq̃ nobilius est, quàm ut quicquam aliud prius se habeat. Et certe primũ immotũ mouet, sed animal appetitio mouet: quæ ipsa etiam si moueatur, non tamen per locum mouetur. Ex his compertũ est, idq̃ optima ratione, impulsus eorum, quæ oriuntur, ultimum eorum esse, quæ<sup>40</sup> prodeunt. animal enim motu agitur, & ingreditur, uel appetitiõne, uel optiõne: alteratione tamen aliqua facta per sensum, aut uisum.

QVI intelligit, quodam modo in actiõnẽ nunc incumbit, nunc non incumbit: & mouetur, nunc non mouetur. eodem sanẽ modo de rebus statuendũ uidetur, quæ immotæ cogitatione cõprehendunt, & ratiocinatione colliguntur. Verum in his cõtemplatio finis est. nam ut duas homo percepit propositiones, cõclusionem excogitauit, eandemq̃ cõposuit. sed in ijs quæ geruntur, duabus à propositionibus conclusio ducitur, quæ eadem actio est. ut cum nouerit cuiq̃ homini inceden-  
dum

dum esse, & ipse homo primo quoque tempore incedit. Item si nulli incedendum sit homini, & ipse homo confestim quiescit. & hoc utrumque efficit, nisi ab aliquo uel prohibeatur, uel ad aliud cogatur. Commoda res conficienda: ædes comoda, ædes primo quoque tempore architectatur. integmenti indigeo, id cuius indigeo, mihi conficiendum: tunica indigeo, tunica conficienda est. ita conclusio, quæ est, tunica conficienda, actio & functio erit. Quinetiam sumpto initio à re, quæ principium operis est, agit, ut si tunica fuerit, necesse est principium antegressum esse, unumque aliud consequitur, & statim alterum conficitur. Ex his probatum uolumus conclusionem esse notionem. Propositiones, quæ actionem afferunt, ex duplici genere coniectunt, rei comoda, & eius, quæ fieri possit, ut qui disputant, & interrogant, hi enim com-  
 10 pertiorem omittunt propositionem, alteram uero proponunt, ut cogitatio quæ præest, nihil consideret. ita in rebus quæ geruntur accidit, ut si commodo sit homini incedere, certe non immoratur in agnoscendo se hominem esse. Quæcunque igitur alia, nulla ratiocinatione duce, agimus, celeriter agimus, nam postquam actionem, quæ cuius rei gratia notatur, suscepit uel sensu, uel uiso, uel mente, quam primum actione, cuius desiderio flagrabat, fungitur, propterea quod loco interrogationis, uel notionis, munus appetitionis præstat. Cupiditas mihi dicitur ebibendum esse: tum uel sensus, uel uisum, uel mens subdit hocce potulentum esse: confestim illud hauritur. ita animalia impetum capiunt uel ad motum uel ad actionem.  
 20 Et cum appetitio præcipua causa motus sit, eademque excitetur uel per sensum, uel per uisum, & notionem: & qui agunt, partim cupiditate, aut ira, partim appetitione, aut uoluntate concitantur: accidit, ut alia faciant, alia agant, non aliter quam ea opera quæ non alieno impulsu, sed sua sponte agitari uisuntur paruo excitato motu, laxis rotis, seque mutuo trudentibus. & quadrigæ, quæ ab auriga agitatae statim mouentur, & rursus in orbem uersantur, quoniam inæqualibus utuntur rotis: minor enim quasi cardo euadit, ut in cylindris fit: ita moueri animalia confirmamus. quippe quæ hisce instrumentis orientur, & machinationibus instruuntur, hoc est neruorum, ossiumque natura, quandoquidem ossa, tanquam ligna & ferrum sunt: nerui tanquam rotæ, quibus laxatis & remissis motus agitur.  
 30 Veruntamen in operibus, quæ sua sponte mouentur, & in quadrigis, nulla suboritur alteratio, etiam si in orbem idem uertant. Contra in animali idem tum ampliari, tum diminui, & faciem corporis uariare potest, partibus ex calore augescens, & iterum sese adstringentibus ob frigus, ipsidemque alterationem contrahentibus. Visa, sensus, & consignatae in animo notiones commouent. sensus enim cum alterationes quædam sint, confestim inducuntur. Visum, & notio rerum agendarum uim obtinent. etenim species uel caloris, uel frigoris, & rei uel iucundæ, uel formidabilis mente percepta quodam modo talis agnoscitur, qualis res quæque est. idcirco notione solum affecti tum horrore, tum metu percussi uidemur, atque hæc omnia perturbationes, alterationesque haberi debent. Partium corporis, quæ per alterationem uariantur, alia augescunt, alia decrescunt. Nec uero dubium est, quin parua admodum initio facta mutatione, in corpore multiplices e longinquo uarietates suboriantur, ut cum per remonem paululum tralatum longe diuersa prorsus positio uisitur. idem quoque efficiunt uel per calorem, uel per frigus, uel per rem eiusdem generis aliam. Nam quoties in corpore alteratio inducitur (etiam si in exigua eiusdem uisceris parte, quæ sensu minus pateat alteratio excitetur) toties multiplices corporis facies annotantur, e rubore, pallore, horrore, tremore, & rebus eiusmodi contrarijs. Ergo initium motionis quemadmodum præcepimus, res conficienda, & declinanda est, in his tamen, quæ geri, administrarique possint. Calor autem & frigus necessario earum notionem, atque uisum confectantur, quia res tristifica euitari,  
 40

iucunda affectari solet. ueruntamen tenuibus in rebus, id ualde obscurum est. tristifica enim iucundæque res ferè omnes cum frigore, aut calore occurrunt. quod quidem ex animorum nostrorum perturbationibus colligitur. Etenim audacia, pavor, concubitus, & alij in corpore suborientes motus tristifici, iucundi ue sunt partim in certis membris, partim in toto corpore. idque cum calore, aut frigore. At memoria, & spes ex usu eiusmodi motuum, quasi spectrorum nunc magis, nunc minus causæ eorum ipsorum sunt. Ratio igitur exigit, ut tam interiores partes formentur, quam partium instrumentariarum initia commutentur, ex concretis mollia & soluta, ex mollibus & solutis concreta. & mollia uicissim, & dura. Quæ cum ita commutentur, & uis quoque agendi, & patiendi ea natura prædita sit, quam sæpe indicauimus, cum accidit aliud patibile, aliud agens esse, & nihil ex his desideretur, quæ ad formam, & quid res sit pertineant, primo quoque tempore aliud agit, aliud patitur. ob eamque rem simul, ut ita dixerim, homo intelligit incedendum esse, & incedit, nisi fortè aliud impedimento sit. Instrumentariæ quidem partes congrue affectiones præparant, appetitio affectiones, appetitionem uisum. hoc autem uel ex sensu, uel ex notione efficitur. simulque & celeriter ipsa res euenit, quoniam principium agendi, & patiendi inter ea refertur, quæ mutuam habeant naturam.

PRINCEPS animalium motor necessariò in aliquo initio situs esse debet. Quinetiã exposuimus copulam ipsam alterius partis initium esse, alterius exitum, propterea efficitur, ut natura eiusmodi copula modo tanquam re singulari, modo tanquam duplici utatur. cum enim ex uno loco in alium motus agitur, necessitas cogit, ut extrema altera nota quiescat, altera moueatur. quandoquidem paulò ante probauimus id quod motum parit, in re quiescente se sustinere. Itaque extrema brachij pars mouetur, & non mouet, cum tamen gibberis inflexu pars, hoc est manus moueatur, quæ sanè cum toto brachio agitur. atque etiam necessariò aliquid constituendum est, quod facultate quidem singulare signum habeatur, sed actu duplex. idcirco si animal brachium esset, in gibbere profectò mouētis animæ originem locandam existimarem. Et certe ut brachium ad gibberem se habet, ita contingit inanima quædam, quorum de genere est bacillum, se ad manum habere, ut si bacillum moueat, perspicuū sit animam in neutro extremo consistere, neque in extrema rei motæ parte, hoc est manu, neque in altero principio, hoc est bacillo. Hoc enim præ manu summam, tum infimam obtinet partem, ut hac saltem causa, nisi principium animæ mouēs in bacillo cōdatur, neque in manu fuerit. nam summa ipsius manus pars ita ad brachiale comparatur, ut hæc pars ad gibberem, propterea quod nihil differunt partes, quæ coaluerint ab his, quæ non eiusmodi sunt. quippe cum ipsum bacillum ut pars separabilis euadit, itaque necesse est illius sedem nulla origine contineri, quæ alterius sit finis. neque si aliud cum eo magis continens sit, ut principium extremæ bacilli partis in manu, huius in brachiale. Quod si in manu id non sit, nimirum in parte habebitur superiore. atque etiam gibbere quiescente tota inferior pars, quæ tamen continens sit, mouetur. Sed cum similiter cor ad membra tam dextra, quam sinistra se habeat, & per partes contraria membra ita agantur, ut neque ex perpetua quiete sinistrae partis dextra moueatur, neque e contrario fiat, cum exordium à superiore ambarum partium loco semper ducatur, necesse est medio pectoris, hoc est cordi ipsam animæ mouētis originem reddi, quandoquidem amborum extremorum medium est ultimum. Et hoc ipsum æque comparatur ad motiones superiorum, & inferiorum partium, ut ad lacertorum, & crurum, quorum origo est spiratione probatur. sentientem enim facultatem hic locari oportere censemus, ita ut hoc loco, quo principium continetur, sensus opera alteratione affecto & immutato

tato partes proximæ adiuuent extensæ & contractæ, atque ita necessariò uel propter hanc ipsam causam motus animalibus agitur. Media sanè corporis pars, quæ quidem cor est, & in eo diffusi spiritus, quanquam una est, actu tamen plura reddatur necesse est, propterea quod lacerti & crura per partes motum nanciscuntur ab initio, & alteris quiescentibus, altera mouentur. exempli gratia, in A, B, C, ipsum B mouetur, mouet autem A, certe aliquid debet quiescere, si aliud mouendum est, aliud moturum. A igitur, quod unum potestate est, duo erit, itaque necesse est non punctum, sed quandam esse magnitudinem. Verum contingit C, per partes cum B moueri, ut necesse sit utrunque originis genus partium quæ in A impelluntur, motum agere. Oportet igitur præter hæc principia aliud quicquam mouens esse, quod nullum subeat motum, innitantur extrema, & principia membrorum eorum quæ uicissim in A mouentur, ut si qui sint, qui ex dorso innisu crura moueant. Enim uero id, quod utraque mouet, necessariò est, hoc nimirum anima erit, quæ quidem licet ab hac magnitudine sit diuersa, tamen in ea collocatur. sed è ratione, quæ probat motionis causam, appetitio est medium, quod mobile \* mouet. In animatis plane corporibus, aliquod eiusmodi corpus inesse debet. Ergo id quod mouetur, nec mouere potest, alienas uires pati ualet. Mouens item necessariò quadam facultate, & uigore niti debet, eoque magis, quod animalia omnia partim natiuum hunc spiritum habent, partim eo uigent. atque alio præcepimus loco quænam ratio salutis eius modi spiritus sit. At enim uidetur ille ipse spiritus æque ad uitalem originem se habere, ut nota in copulis expressa, quæ impellit & impellitur ad rem omnino immobilem, sed quando principium alijs in corde locatur, alijs in eo, quod cordi proportionem redditur, ideo natiuus quoque spiritus in eodem uidetur sedem tenere. aliaque omnino instituenda oratio, utrum eiusmodi spiritus idem sit, an semper diuersus efficiatur. Idem de reliquis etiam partibus decernendum est, quippe cum apposite ad uim mouendi, uigorisque afferendi se habeant. Motionum opera sunt pulsus, & tractus. idcirco instrumentum & augescat, & corripitur par est. talis autem spiritus natura: nam in immensum contrahitur. atque etiam coarctat & eandem ob causam impultrix est, & ad ignea grauitatem, ad contraria leuitatem obtinet. Enim uero id, quod motionem per locum, non per alterationem allaturum est, debet uel grauitatem, uel leuitatem habere, quandoquidem naturalia corpora per exuperantiam inter se primas tenent. Leue in infimum deprimitur à grauiori domitum, graue ad summum cõtendit ab leuiori expugnatum. Qua parte, quæ tamen moueatur, anima moueret, & quam ob causam tradidimus.

ANIMAL sanè ita cõstitutum esse iudicare debemus, ut ciuitatem legibus bene instructam, & temperatam, in hac enim postquam administrationis ratio semel instituta est, nihil oportet absentem principem rebus singulis, quæ gerantur, interesse. imò uero quisque officijs fungitur suis ut mandatũ est, & aliud post aliud ex consuetudine administratur, & instituto. In animalibus hoc ipsum tum per naturã efficitur, tum quod singula, quæ ita constituentur, ad munera sua exequenda probe affecta sunt. Quocirca opus non est in quoque membro animam inesse, sed cum in certo principio consistat, & reliqua membra, quod illi adiungantur, uiuunt, atque officia per naturam obeunt sua. Exposuimus quemadmodum animalia uoluntarijs sese mouerent motionibus, & quas ob causas. Atqui non desunt quædam partes, quæ inuitis etiã motionibus agitentur, cum plurimæ non uoluntarijs agitentur. Motiones inuitas intelligo, quales cordis, & membri genitalis, quia sæpenumero ex occursum rei illa sese mouent, quanquam mens nihil interea decernat, & statuatur. Non uoluntarias designo, quales somnum, uigiliam, spirationem, & reliquas eiusdem generis, quandoquidem nulli horum simpliciter aut uisum, aut appetitio præest,

Sed cum necesse sit animalia naturali quadam uariari alteratione, ideo\* necesse est per occursum rei illa commoueri. Partium quæ alterationem contrahunt, aliæ augentur, aliæ diminuuntur. propterea non ex motu, & commutatione innatæ mutationes mutuò se sequuntur, & continentur. Naturales uero motionum causæ & partium prædictarum inuiti impulsus excitantur, ut alteratio inciderit. Siquidem notio, & uisum, ut supra docuimus, agentes pariunt affectiones, quia rerum agentium imagines effingunt, & afferunt. Inter omnes autem partes, cor & genitale potissimum id perspicue agunt, quia utrunque membrum, tanquam abiunctum est animal. Ac huiusce quidem rei causam asserimus humorem, qui in utroque uitalis continetur. In corde quam ob rem id fiat, causa patet, quia sensuum principatus ei defertur. In genitali membro, quoniam tale signum est. ex eodem enim ipso uis genitalis seminis quasi animal quoddam promitur. Optima igitur ratione motiunculæ à partibus ad initium, & ab initio ad partes contendunt, atque ita se mutuò petunt. Siquidem A, initium intelligi debet, propterea motiunculæ pro ratione singulorum elementorum, quæ adscripsimus, ad initium perueniunt, & ab initio, quod mouetur, & commutatur. quādoquidem potestate B, initium multa est, ad B. & C, ad C. B autem & C, ad B & C. à B, ad C, non postea itur, sed à B, ad A, ut ad initium pergatur: ab A, uero ad C, ut ab initio. Præterea in iisdem percipiendis aliquando motus suboritur, qui præter rationem partes occupat, aliquando non suboritur. Causa inde ducitur, quod patibilis materia modo non substernitur, modo non tanta, aut talis substernitur, ut motum nauare possit.

De partibus per singula animalium genera, & de anima disputauimus. item causas sensus, & sensilium, memoriæ & reminiscentiæ, somni & uigiliæ, communisq; animalium motionis reddidimus. Reliquum est ut ortus persequamur.

LIBRI DE COMMUNI ANIMALIUM  
MOTV, FINIS.